Angus Farquharson &c

# DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

# DYSENTERIA.

AUCTORE FARRELLIO O'REILLY.

Decreto almae hujus Academiae obtemperaturo, scilicet, unumquemque summos in medicina honores ambientem, opusculum de re quavis medica proferre jubenti, pauca de Dysenteria dicere mihi liceat. Bene nos novimus, hunc morbum frequenter esse descriptum, sed sive spectemus ad diras strages, saepe etiam gladio funestiores, quas omni aevo, in exercitus atque classes edidit,






[Edinburgh: C. Stewart. 1811.]

vel etiam quod homines in omni terrarum orbis regione, haud raro invadat; satis constabit, quemque artem salutiferam, praesertim in castris, exerciturum, Dysenteriam diligenter considerare, atque probe praenoscere, oportere.

## HISTORIA MORBI.

Usque ad tempus quo vixit praeclarus Sydenham, inter se valde discrepuere medici de Dysenteria disserentes; nonnulli, sub hoc nomine, nempe omnem diarrhoeae speciem, intestinorum haemorrhagiam, atque ulcerationem complectentes.

Sed ille, aliique post eum, ac potissimum Cullenus jure celeberrimus, significationem propriam atque definitam huic titulo de-

dere: Hic, in Systemate suo Nosologico eximio, ad classem Pyrexiarum, et ad ordinem Profluviorum retulit, sicque definivit.

"Pyrexia contagiosa, dejectiones frequentes, mucosae, vel sanguinolentae, retentis plerumque faecibus alvinis, tormina, tenesmus."

Dysenteria per regiones calidas praecipue grassatur, praesertim iis in locis, quibus terra demissa ac palustris, et coelum pluviosum eveniunt. Interdum aestate vel autumno ineunte, epidemice in his saevit; quo tempore, febribus remittentibus, et intermittentibus, persaepe sese conjungit, eo fit morbus maxime lethalis.

Dysenteriae plurima ex parte praeeunt, anorexia, nausea, alvus adstricta, flatus,

quibus superveniunt algores, postea calor et sitis, praeter ordinem augentur, cum lingua arida subflavi coloris et vomitu praecipue bilioso, pulsu frequenti, capitisque dolore. Paulo post tempore, dejectiones pravae, iterum atque iterum interdum copiose redduntur, cum borborygmis, et dolore ad imum ventris. His cito ingravescentibus dolores per totum abdomen vago itinere progrediuntur, tenesmo, atque immani desidendi desiderio.

Brevi sellae parciores, sed frequentiores fiunt, quibus expulsis, aeger levamine per paululum temporis potitur, praesertim cum moleculae faecum naturalium ejiciantur.

Per anum emissa, quoad colorem, et caeteras qualitates multum variant. Mucus spumosus, aut purus, lineamentis sanguineis

imbutus, aut commistus, frequenter manat. Nonnunquam liquor aquosus loturae carnium simillimus, foetore putido. Interdum sanguis ipse, pus quoque, fimbriae membranaceae intestinorum tunicae villosae haud dissimiles, in dejectionibus apparent. Aliquando particulae sebaceae, vel specie caseum referentes dejiciuntur; interdum per os vel per anum emittuntur vermes. Saepe in progressu morbi, symptoma aegro molestissimum accidit, ex detrusione ani, per nisus violentos. Faeces alvinae, scybalarum forma tantum, etiamque in minima quantitate, et raro, eliminantur.

Sedes hae pravae, cum aliis comitantibus malis, brevius longiusve permanent. Nunc remediis propriis adhibitis, leniores factae, omnino desinunt, vel diu perstantes, morbum chronicum efficiunt; nunc subito for-

mam graviorem mox dicendam induunt. Urinae excretio in diversis exemplis multum differt, modo parca, nonnunquam cum stranguria evadit; nunc rubicunda, interdum coloris expers, aliquando in toto suppressa est.

Febris quae Dysenteriam comitatur, potest ab accessione morbi, vel inflammatoria, vel typhodea esse, vel ex duabus composita; hoc est, sub initio synocha, et morbo progrediente typho: et cum vere, praesertim in regione frigida, homines Dysenteria adoritur, aliquando illâ, ubi autem aestate in terris calidis vel temperatioribus incipit, cum alterutra harum frequentius connectitur. Brevi temporis si morbus fauste evasurus sit, febris gradatim et omnino cessat, sed interdum perdurat, vires extenuantur aut cito obruuntur, ventriculus magnopere nau-

seâ laborat; linguaé et dentibus sordes foedae inhaerescunt. Cutis nunc arida, nunc sudoribus e facie vel e pectore subinde manantibus perfusa est. Nisus frequentissimi et dolentissimi aegrum miserrimum excruciant, qui precatur sibi mortem, suis finem ponere miseriis. Tum facies pallescit, foetor cadaverosus adest. Stupor vel delirium, pulsus exilis, et intermittens, et singultus, accidunt, atque aeger his omnibus confectus, animam emittit.

## SECTIO CADAVERUM.

Quamvis omnia abdominis viscera nonnunquam afficiuntur, tamen intestinis praecipue crassioribus potissimum insidet morbus. Colon et rectum flatu distensa, inflammata vel sphacelata, plus minusve ap-

parent; interdum tunicae eorum, cum perpaucis inflammationis vestigiis, crassae sunt, vel coarctantur; at nonnunquam praeter solitum rubescunt; in colo subinde conspiciuntur pustulae, speciem variolae referentes, attamen hoc discrepunt, quod in variola, cavernosae, in Dysenteria, carnosae sunt.

Ilium interdum sanum apparet, sed saepe inflammatione praesertim partis inferioris affectum conspicitur, et plexus ejus sibi invicem inhaerescunt; maculae rubrae vel gangrenosae interdum ventriculo sese ostendunt, omentum aliquando prope consumptum est, vel decoloratum, hepar et lien adaucta, abscessibus affecta, vel imminuta inveniuntur. Pancreas, interdum induratum est. Sed haec posteriora exempla rarius occurrunt, et fortassis non, nisi cum

morbus febri remittenti, vel intermittenti sese adjungit; in his egomet haec viscera plus minusve sic morbida vidi.

## DIAGNOSIS.

A diarrhoea, colica, cholera, et haemorrhoide, sequentibus dignoscitur Dysenteria.

Diarrhoeam nunquam comitatur febris primaria, Dysenteriam perpetuo; neque in diarrhoea aeque ac Dysenteria, torminibus, vel tenesmo, excruciatur aeger. Nunquam ex contagione originem suam ducit illa, ast semper haec. Retractio umbilici, musculorum abdominalium spasmi, alvus adstricta, nulla pyrexia primaria, vomitus tanquam stercoracei colicam a Dysenteria satis discriminant.

A cholera distinguitur humoris biliosi, sursum et deorsum, copiosa exinanitione, surarumque spasmis. Haemorrhoidam designant satis tubercula circa anum, vel per eum, stillatio sanguinis sine tenesmo, vel alia affectione abdominis insolita, aut praegressa, vel comitante.

## PROGNOSIS.

In hoc, ut in aliis plerisque morbis, secundum violentiam symptomatum, aetatem, corporisque habitum, prognosis diducitur.

Si pyrexia, tormina et tenesmus, mitem formam servant, atque medicamentis propriis cedunt, vix ullum periculum adest. At cum infantes, homines aetate provectos, vel

ex aliquo morbo praeeunte debiles, aut faeminas, vehementer invadit, maxime periclitantur. Si adsunt petechiae, vibices, faecumve foetor intolerandus, delirium, pulsus parvus, singultus, et convulsiones, sellae sponte sua elabentes, et urina quoque, atque sedimentum nigrum deponens, tormentorum vehementium cessatio subita, pauca vel plura horum simul concurrentia, mortem indubitabilem, plurima ex parte, monstrant.

## DE CAUSIS DYSENTERIAE REMOTIS.

Plerisque a contagione Dysenteriam oriri hodie constat; si ausim judicare, dicerem, quod sola atque unica causa est. Nam alia varia excitantia, ab auctoribus memorata,

corpus humanum ad invasionem morbi, tantum opportunius reddunt; nempe, paludum miasmata, bilis acris, fructus usus immodicus, &c. quoque calor humiditati conjunctus, victus deficiens vel noxius, evacuationes immodicae, ebrietas, denique quicquid corpus multum debilitat vel vires resolvit, contagionis actioni maxime favet.

## CAUSA PROXIMA.

Quae sit causa hujus morbi proxima, varii medici varie opinantur. Nonnulli duxere causam proximam a materia acri in intestinis aut generata vel illuc delata, eademque irritante. Causam proximam fibrarum intestinorum spasmum esse existimat Cullenus: hoc negant alii, atque ad inflammationem, causam proximam retulere. Valde

mihi arridet haec opinio, ex iis, quae cadaveribus incisis, semper conspiciuntur.

## METHODUS MEDENDI.

Quamvis Dysenteria, primo gressu, naturae inflammatoriae haud raro esse possit, nihilominus, quemque medicum, ob horrendam formam typhodeam, quam morbus progrediens, persaepissime induit, valde cavere oportebit, ne sanguinem incaute mittendo, mortem in aegrum festinaret.

Procul dubio, praesertim in regione frigida omnia synochae indicia per totum morbi decursum, interdum adsunt, atque detractionem sanguinis rogitant. Cum talia symptomata occurrunt, phlebotomia quamprimum nobis utendum est, incipiente mor-

bo, ventriculum exonerare ingestis, necesse erit; cui consilio, emeticum lene sat inservit. Tartris antimonii nimis vehemens est, nonnunquam post vomitionem, aegrum nauseâ magnopere lacessit, multumque debilitat, quocirca ipecacuanha aptior erit, partitis vicibus adhibita, donec vomitum cierit. His rite peractis, ad laxantia vel etiam ad purgantia quamprimum confugiendum est: de horum utilitate fere omnes medici una voce loquuntur.

Nihil est quod timeamus debilitatem ex iis oriri vel augeri; nam, sublevando intestinorum irritationem, febrem, qualiscunque generis sit, minuunt; et quo citius illis probe utamur, eo efficaciora fiunt. Omnia medicamenta cathartica, quibus hoc morbo sanando usi sunt medici, nequaquam hic enumerare necesse est, quandoquidem ferme quis-

que unum sibi proprium atque comprobatum habet. Plurima horum adhibita vidi, et puto me, sine praejudicio, de sulphate magnesiae loqui, ut omnium praestantissimo.

Si nullum ordinis laxantium voto medici respondeat, deinde purgantibus utendum, qualia sunt calomelas, jalapium, &c. idoneis dosibus, ad plenam atque repetitam alvi solutionem, nam in hac salus aegri pendet.

Perraro clysmata ullum fere auxilium secum adferunt, aut fovendo aut evacuando intestina, utpote per aptum tempus retineri non possunt, ob tenesmum.

Sed aliquando tormina, fotu externo, levantur, et vesicatoriis abdomini applicatis.

Inflammatione subacta, sordibusque ex intestinis omnino expulsis, opium saluberrimum esse comprobatur, priusquam vero, perniciosissimum; immania tormina et tenesmum, per os vel per anum inhibitum, levando, interdum mirifice prodest. Clysmata opiata, saltem cum minima quantitate vehiculi, injicienda sunt; si haec retineri non possunt, formâ pilulae in anum immissum, persaepe tenesmum amovet.

Diaphoretica, post cathartica solerte administrata, nonnullis valde laudantur: eodem tempore, aeger decocta hordeacea vel alios liquores tenues copiosè bibat, oportet. In utraque India, mercurio medici large utuntur. Cum debilitas vel proclivitas ad putredinem adsunt, liberali manu, vinum et cortex peruvianus concedenda sunt.

Tonica atque astringentia, prout res sese habeant, administrentur, oportet. Morbo perstante, intestina et ventriculus, multo acore interdum opprimuntur, cui occurrendo, absorbentia maxime accommodantur, a morbo convalescentes, tenui sed nutrienti victu uti debent, cum exercitatione modica, atque in frigus sese accingant, vestimentis lanuginosis: indusium laneum, sane per omne stadium morbi, in curatione medicamenta multum juvat.

## PROPHYLAXIS.

Quum nos lugubris aevorum experientia, Dysenteriam maxime contagiosam esse monet, non solum medici, verum etiam praefecti classium, castrorum, urbiumque, aliorumve locorum, quae homines frequentant,

vel quibus confertim sese habeant, summa ope, niti debent, ne labes grassaretur.

Morbo correpti, quamprimum a numero sanorum segregentur, oportet, atque seorsum collocentur. Tum ventilatio, atque summa munditiès, colendae sunt. Omnia excrementa quam citissime amovere, atque terra contumulare, necesse erit. Vapores aceti calefacti, valde utiles sunt, ad animum aegri erigendum, vel etiam ad contagionem debellandam; sed vapores acidorum mineralium in hoc aliis longe praestant. Nequaquam matulis aegrorum, sani utantur.

Haec non solum aegro ipsi multum prosunt, verum vicinis in morbum, maximum praesidium adferunt.

FINIS.

---

Excudebat C. Stewart.